



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

Præfatio Auctoris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)



PRÆFATIO AUCTORIS.



§. I.

*H*istoriæ Ecclesiasticæ materia est Religionis ortus, & progressus; hanc enim notam vera Religio sibi soli propriam habet, quod certa sit ejus origo, & traditio ad nostra usque tempora nunquam interrupta. Certa est ejus origo, cum non solum Fidelium, sed etiam Infidelium testimonio constet, Jesum Christum ante mille septingentos ferme annos in mundum venisse; Christi Historia, a Discipulis ejus rerum præsentibus testibus scripta,

scripta, in manibus nostris est. Sunt Prophetiæ, quæ Christum tot, antequam venerit, sæculis promiserunt; harum Scripturarum signata tempora, & Auctorum Nomina a prima origine scimus, videlicet ab ipso Moyse, cujus libri omnium, quotquot fuere, sunt antiquissimi. Hæc non ita se habent in fabulis, quibus Græcorum, aliorumque veterum Ethnicorum Religio superstructa est. Poetæ, quibus apud Gentiles idem munus fuit, ac Prophetis, & Theologis apud Christianos, se quidem a Musis, aut aliis Numinibus edoctos dicebant, at nullo, ut fidem facere possent, adducto, vel argumento, vel teste; nec ullis rerum, quas narrabant, mirabilium veritatem adjunctis firmare audebant; Quis eorum unquam dixit, aut dicere potuit, se oculis suis vidisse Jovem in taurum, aut cygnum mutatum? aut Neptunum suo Tridente terram concutere? aut solis vel lunæ currum, & rotas conspexisse? hæc nempe erant veterularum, & nutricum fabulæ, cæca reverentia antiquitatis sacræ, Poeseos, Musicae, & Picturæ illecebris, ut hominibus
place-

placerent, exornatae; cumque diversis Regionibus, & temporibus fuissent confictae, ita sibi erant contrariae, ut conciliari non possent. Si Indias, omnesque Ethnicorum Provincias, quae in hanc usque diem nobis innotuerunt, peragraveris, nullibi firma Religionis principia invenies; facta audies portentosa, febricitantium somniis perquam similia, omni argumento, omnibus tam temporum, quam locorum adiunctis destituta; quae quomodo aliarum rerum, in orbe gestarum, historiae cohæreant, nullatenus perspicias, quaeque nulla ratione cum rerum praesentium serie, & ordine componere valeas.

§. II.

Mahometanae quidem superstitionis originem scimus, & propagationem; nihil vero in toto hoc opere Divinum, & quod supra naturam sit apparet. Homo natura audax, & ad res gerendas factus, patrio sermone facundus, quamvis de cætero illiteratus, & rudis alios se nihilo doctiores decepit, sub praetextu Idololatriæ

extirpandæ, jam a pluribus sæculis sponte sua in ruinam inclinatæ; qualem autem Mahometes fidem affectis suis credendam proposuit? nempe Mysteriis vacuum; aut quæ Religionis opera, nisi aliunde Gentis illius moribus congrua? quibus mediis, & auxiliis Mahomet novam Sectam invexit? nempe vi armorum, & strepitu, ita ut melius civilis Imperii invasorem, quam Ecclesiæ fundatorem dixeris; provincias, a Mahomete subactas, Successores ejus novis auxere victoriis. In his omnibus nihil invenies ab ordinariis rerum humanarum vicibus alienum. Qui Mahometi donum miraculorum affingunt, cum longo post res gestas intervallo scripserint, nullam fidem merentur; Ipse Mahomet, haud dubie in hac causa omni exceptione major testis, miracula in argumentum missionis suæ petentibus respondit, non ideo se a Deo missum, ut miracula faceret, satis enim antehac a Moyse, & JESU fuisse patrata. Cæterum hanc Sectam nec persecutionem alicubi passam, nec sub extraneis substitisse Principibus videmus.

§. III.

§. III.

Veræ ergo Religionis Nota est, ut æque sit certa, & supernaturalis. Miracula erant necessaria, ut testarentur, Deum loqui, hominesque, naturæ prodigia, quod essent quotidiana, non mirantes, excitarentur; pariter erat necessarium, ut hæc miracula testibus præsentibus probarentur, ne Fideles imprudenter credere dicerentur, eorumque fides a cæca credulitate differret, qua temere, quidquid prodigii speciem refert, creditur; porro Misericordia Dei, cui, ut infirmitati nostræ succurreret, miracula patrare placuit, eadem in maxima orbis terrarum luce fieri sapientissime disposuit, illis videlicet temporibus, & locis, ubi semel visa, & divulgata nulla unquam oblivione deleri possent. Moyses miracula sua edidit in Ægypto, in illa urbe, quæ erat Regni caput, & Principis sedes: edidit in Regis præsentia, illis temporibus, quibus Ægyptii scientiarum, & morum cultu inter omnes gentes eminebant; testem miraculorum suorum habuit integrum Israelitarum

a 5 populum

populum, quem servitute liberavit, & cui Leges a se scriptas in eodem libro, hæc miracula continente, tradidit. **JESUS** Christus venit tempore Augusti, sagacissimo, & eruditissimo, si quod unquam fuit, Imperii Romani sæculo, & tot Scriptoribus abundanti, ut major sit rerum illarum notitia, quam inter nos earum, quæ Ludovico juniore regnante contigerunt. **JESUS** Christus juxta Prophetarum effata in Judæa natus, docuit, & pleraque miracula edidit Jerosolymæ, Judææ Metropoli, ibi mortuus est, & resurrexit. Christi Discipuli primum per Romanorum Provincias, deinde per totum mundum diffusi sunt; in maximis orbis terrarum urbibus fidem Christi prædicare cœperunt, Antiochiæ, Alexandriæ, & quæ caput totius orbis erat, Romæ; Evangelium annuntiarunt Athenis, Corinthi, per universam Græciam, per urbes sapientiæ mundanæ opinione florentissimas, moribus autem corruptissimas, & Idololatriæ tenebris sepultas. Coram facie omnium nationum, Græcorum, Barbarorum, coram oculis

oculis sapientium, & ignorantium, Judæorum, & Romanorum, coram Principibus, & plebe, JEsu Christi Discipuli prodigiorum eorum, quæ oculis suis viderant, auribus suis audierant, & manibus suis contrectaverant, præprimis vero gloriosæ ejus Resurrectionis testimonium perhibuere. Hanc veritatem sine ullo suo commodo, contra omnes prudentiæ humanæ rationes ad ultimum usque spiritum professi sunt, & ad eandem confirmandam sanguinem, & vitam omnes dedere. Talis fuit Christianæ Religionis ortus.

§. IV.

Jam, quid exinde factum sit, videamus! num fides rationi adeo repugnans, num Doctrina moralis, hominum cupiditati tantopere adversa, ætatem ferre potuerit? an nullum a Christi adventu tempus hanc Doctrinam ignoravit? an nulla doctentium fuit interruptio? quomodo hæc fides ad nos usque transmissa? dicam enimvero; continua Doctorum, & Discipulorum successione, per libros a sæculo in sæculum

saeculum editos, & de manu ad manum devolutos, per Traditiones, quæ a Patribus ad filios transferunt, per comitia solemnia in omnibus Provinciis, & urbibus super hujus Religionis quæstionibus celebrata, per ædificia, & templa hujus Religionis usui exstructa, quorum aliqua a mille annis existunt, per hæc, inquam, nullo tempore interrupta, Doctrina, & fides catholica ad nos pervenit. Ex quo SS. Petrus, & Paulus Ecclesiam Romanam fundarunt, nunquam non aliquis Papa, Christianorum Caput, Romæ extitit; nota est nobis eorum series, nota eorum Nomina usque ad Innocentium duodecesimum. Habemus successionem Episcoporum Jerosolymitanorum, Antiochenorum, Alexandrinorum, Constantinopolitanorum, & ut propius ad nos redeamus, novimus omnes Episcopos, Lugdunenses a tempore SS. Photini, & Irenæi, Tolosanos a S. Saturnino, Turonenses, a S. Gatiano, Parisienses a S. Dionysio; in illis etiam Ecclesiis, quarum origo obscurior est, nihilominus Episcoporum a mille circiter annis

nis certa est successio. Hoc profecto veræ Religionis fortissimum, & convincens est argumentum: Omnis Ecclesia, quæ ascendendo ad prima sæcula Pastorum suorum seriem semper in communione aliarum Ecclesiarum, imprimis vero Ecclesiæ Romanæ viventium, demonstrare potest, omnis, inquam, Ecclesia, quæ hoc testimonio gaudet, Catholica est. Econtra societates hæreticorum ex eo dignoscuntur, quod, si ad prima tempora reducas, serius, aut citius certum tempus deprehendatur, quo se ab Ecclesia, ex qua ortum traxerant, separarunt. Doctrina nova, aut particularis falsa est; vera autem, quæ semper, & per totam Ecclesiam tradita est. ()*

§. V.

(*) *Fleurius in ipso suæ Præfationis exordio, atque præcipue in præsentis paragrapho, signa veræ Christi Ecclesiæ manifesta soli Romano-Catholicæ convenire, luculenter expressit; hinc Interpres Lutheranus in sua versione germanica Fleurii sensum hac una pagina quater mutatis, aut interjectis verbis corrumpit, timens haud dubie, ne tota veritas se Protestantium Lectorum animis insinuaret.*

§. V.

Materiam igitur Historiæ Ecclesiasticæ felix illa Doctrinæ, Disciplinæ, morumque bonorum successio constituit. Si hæc scientia non omnibus æque sit necessaria, nemo tamen est, cui non sit utilissima. Nihil magis Christianum in fide roborat, quam si eandem Doctrinam, quam hodie tenemus, a principio Ecclesiæ tot miraculis, & Martyriis confirmatam legat. Quo Disciplina est antiquior, tanto etiam veneratione est dignior, seu ad orandi formam, vel jejunandi modum, vel administrationem Sacramentorum, aliasve sacras Cæremonias spectet. Denique exempla Sanctorum docent, in quo solida pietas consistat, & vanas nostras excusationes destruunt, dum perfectionem Christianam esse possibilem non verbis, sed suis operibus ostendunt. Hæc tria in hujus historiæ contextu lectoribus meis ante oculos ponere statui, Ecclesiæ Doctrinam, Disciplinam, & mores.

§. VI.

Non scribo, ut vanæ illorum curiositati

tati satisfaciam, qui in historicis nova semper facta, & insolita qucerunt, aut tempus fallendi causa legunt, sunt illis historice profane, & itineraria. In eorum Christianorum gratiam calamum strinxi, quibus Religio cordi est, magis magisque instrui cupiunt, & ea, quae Religio docet, opere complere. Nec etiam Theologis, virisque eruditis scribo, hi melius historiam Ecclesiasticam in fontibus, ex quibus ipse hausit, discent, nisi forte quis in hoc studio novitius ad invenienda facilius opera, quae inspicere placet, meis citationibus juvari velit. Illis praecipue operam addixi, cujuscunque conditionis sint, quibus nec commodum est, nec vacat, aut requisita scientia deest, ut ingentem librorum cumulum evolvant, est autem sincera fides, judicandivis, & veritatis amor; illis, qui ideo legunt, ut discant, & meliores fiant; qui Religionis sublimitatem, & soliditatem, qualis in se est, cognoscere desiderant, ea autem omnia, quae diversis temporibus ignorantia, & superstitio immiscere tentabat, rejicere. Sunt aliqui praecipue irretiti,
&

2. Tim. 4. 3. 4. *Et angusti ingenii homines, semper illis, qui eos errorem dedocere volunt, infensi, aures a veritate avertentes, ad fabulas conversi, nullos Magistros, quam sibi placencia loquentes audituri; his me non placiturum prævideo; Et alios quidem quamplurimos, palato suo sapientes, libros inveniunt. Ego autem, dum scribo idiomate gallico, utilis esse percipio permultis ex populo hominibus, judicii vi pollentibus, etiam meo cum periculo, ne latini, vel græci sermonis elegantiam, aut energiam minime affectus, patricæ vero linguæ amœnitatem corrupisse videar.*

§. VII.

Pro certis non nisi testimonia illorum Auctorum habeo, qui eodem, quo res gestæ sunt, tempore, aut paulo post scripserunt; () nam sine Scriptura non diu retine-*

(*) *Pater Honoratus, in suis animadversionibus in Regulas, Et usum Critices, Fleurium reprehendit, quod sicut Et alii Critici, Regulas ponat, quas non observat. Fatendum, quod, si Fleurius huic suæ Regulæ de testimoniis Auctorum ad litteram voluisset insistere, plurima ex sua Historia coactus fuisset omittere.*

retinetur factorum memoria, longissime duraverit, si ad Sæculum unum extendatur, ex quo vita hominis sexaginta, vel octoginta annis absolvitur. Filius memor esse poterit eorum, quæ Pater, vel Avus ipsius ante quinquaginta annos narravit, ante quinquaginta alios audita, vel visa; quo longius a fonte narratio abest, eo minus certa est, quisquis enim narraverit, de suo etiam non cogitans adjicit. Hinc factorum antiquissimorum traditiones vagæ, nunquam, aut sero scriptæ, infra fidem sunt, multo magis si factis probatis repugnent. Nemo mihi dicat, Historiam scriptam rerum illarum perdi potuisse; nam eodem fundamento, quo quis perdi potuisse affirmaverit, ego aliquando extitisse negavero. Idem habita materice ratione de Auditoribus sentiendum, qui res, aliquot Sæculis ante se gestas, narrant; nisi fontes allegent, jure merito nimis facile rumoribus popularibus fidem habuisse credi possunt; si autem Auditor gravis Scriptores se antiquiores nominat, unde sua extraxit, fidem meretur, quam-

vis illorum Scriptorum opera non amplius exstent; ita Eusebio, de rebus trium primorum Saeculorum scribenti, par fides habenda est, ac ipsis fontibus, quos adducit, & saepe numero ipsa verba refert, quia multos habebat libros, qui a nobis hodie desiderantur, & ex locis citatis librorum, quos habemus, constat, ab Eusebio fideliter fuisse allegata. Attamen si Auctor antiquus antiquiorem se in testem adducat, semper ille antiquior consultari debet, quæ cautela multo magis necessaria est, si citans sit Auctor modernus. Itaque, quamvis Baronius non solum Auctores suos nominet, sed etiam integros textus transcribat, nolim tamen ejus testimonio acquiescere; qui Historiam Ecclesiasticam certam vult addiscere, fontes inspiciat, unde Baronius sua extraxit, idque eo magis est necessarium, quod nonnulla opera, ut authentica protulerit, quæ postmodum, fuisse apocrypha, exploratum est; sed & alia diffidentiae subest causa, quod Versiones Auctorum Græcorum, quibus usus est, non semper satis fidee sint. His non obstantibus,

stantibus, Baronii Annales maximam Ecclesie utilitatem attulere, meque imprimis ejusdem vestigiis inhæsisse fateor; nova vero omnia, quæ abhinc a peritis detecta sunt, adjicere sategi.

§. VIII.

Sed nec illis Scriptoribus, qui res suo ævo gestas tradunt, sine examine fidentum; in hoc enim nobilis illa ars consistit, quam litterati Criticam vocant, & quæ in adducta testimonia summa industria inquirat. Omnium primo considerandum, an scripta illius partus sint, cujus Nomen præferunt; multa enim præsertim in primis Sæculis supposita sunt. Quisquis supra vulgus sapit, hodie acta S. Petri, quæ a S. Lino, & S. Joannis a Prochoro scripta, feruntur, falsa esse non ignorat; sicut etiam Pseudo-Hegesippus, aut Decretales primis Pontificibus adscriptos. Inter opera plerorumque Ecclesie Patrum Sermones, alique Tractatus falso sub eorum nomine divulgati fuerunt. Quando Auctor certus est, exami-

b 2 nandum,

nandum, an sit fide dignus, ea prope ratione, qua testes in iudicio examinantur. Auctor, cujus iudicium deprehenditur esse mediocre, & stilus ad ostentationem comparatus, vel cujus animus odio partium, propriæ causæ favore, aut quocunque affectu iniquo captus est, minorem fidem meretur, quam Auctor gravis, modestus, prudens, de cujus fide integra nemo est, qui dubitet. Scriptores vel valde callidi, vel simplices æquali ferme modo suspecti sunt, his enim ad ea, quæ dicere, & explicare volunt, peritia deest, illi sæpe propriæ mentis partus, & conjecturas pro veritate venditant. Scriptori, qui res gestas vidit, major fides adhibenda est, quam illi, qui ab aliis referri audit. Cæteris paribus, qui refert res patriæ suæ, aut Regionis, in qua habitabat, præferendus est extero, & ille, qui propria negotia narrat, alteri, qui ad se non pertinentia; nam cuilibet de sua Doctrina, rebus, & Secta scribenti credendum, nemo alius melius ea scire præsumitur. Exterorum, & inimicorum suspecta fides est,

est, si quid autem, quod parti adversæ favet, scripserint, multum probant. Quæ in Epistolis, aut aliis illius temporis actis inveniuntur, Historicorum narrationibus præponderant. Ex his principiis, cui potius inter Historicos coævus, & discrepantes credendum, determinari possumus; diversæ scriptorum narrationes conciliandæ sunt, si possunt, si non possunt, factumque sit alicujus momenti, ex prædictis regulis, cui potius credas, eligendus est. Non me latet commoditati suæ consulere Historicum, si diversas antiquorum opiniones referat, liberumque lectoribus relinquat iudicium; quod autem Historico commodum, sæpe Lectoribus ingratum est; plerique legentium factorum certitudinem quærunt, non legunt, ut studeant, sed ut aliorum studio, & labore fruantur, molestum accidit in dubio relinquere, cum dubitatio parum ab ignorantia differat. Hac ex causa pleraque dubia omissi, nam certa abundanter suppetebant.

§. IX.

At nec omnia certa, atque probata re-
tuli,

tuli, ommissi, quæ meo proposito erant inutilia, & ad dilucidandam Ecclesiæ Doctrinam, Disciplinam, & mores non facientia. Fateor, quod primorum Sæculorum facta omnia mihi pretiosa, & relatu digna visa sint, hinc excedere malui, quam deficere; etiam simplicis narrationis limites egressus sum, dum antiquorum Scriptorum verba satis multa inserui; nempe considerabam Historiam profanam quoque non consistere solum in narratione factorum externorum, & sensibilibum, nec Historico sufficere, si itinera, prælia, expugnationes urbium, mortem, aut natiuitatem Principum referat, sed etiam eorum consilia, agendi principia, & finem perpendere, & explicare, quæ Historiæ pars Lectori sapienti solet esse gratissima, semper autem est utilissima; multo minus igitur Religionis Historia in eo consistere potest, ut dies Electionis, aut mortis Pontificum, & Episcoporum notentur, narrentur miracula, Martyrum supplicia, aut Monachorum rigores; hæc omnia quidem Historiæ partes sunt, unum autem
maxime

maxime est necessarium, ut explicetur, quænam, & qualis sit illa fides, quæ tot miraculis comprobatur, tot Martyrum firmatur testimoniis. Non sufficit dicere: Tali tempore, & tali loco celebratum est concilium, aut iste hæreticus damnatus est, sed etiam, quantum fieri potest, hujus hæretici errores sunt explicandi, exponendum quo furo, quo colore illiniverit, quibus argumentis confutati fuerint. Si quis Historiam Philosophicæ scriberet, narrando Philosophorum vitas, & actiones, muneri suo non satisfaceret, sed etiam eorum dogmata teneretur exponere; atqui Historia Ecclesiastica est veræ Philosophicæ Historia, & præcipue illius partes sunt indicare, qualis Doctrina ab Ecclesiæ principio huc usque fuerit tradita, & quæ morum regulæ observatæ.

§. X.

Facta minoris momenti, nec inter se, nec cum fine Historiæ principali cohærentia, negligenda sunt; non decet puerili ostentatione indicare, nihil esse, quod non

legerimus, aut nos lateat; rei caput est, ut horas, quibus vacat, Christianorum ædificationi, & fratrum utilitati consecremus. Facta a materia Religionis aliena non sunt immiscenda, quantumcunque mira, & jucunda videantur; nec imitatione dignus est Platina, qui deficiente materia Primorum Pontificum vitas gestis Imperatorum illius temporis amplificat. Christianorum Principum facta sollicite distinguenda sunt, quædam enim gesserunt ut Principes, quædam ut Christiani. Ex quo Episcopi, & Pontifices negotiis sæcularibus impliciti sunt, aut Principatum temporalem obtinuerunt, a fine suo multum aberraret Historicus Ecclesiasticus, qui ea omnia, quæ non ut Episcopi, & Christiani, sed ut Principes gesserunt, enarraret. Attamen successionem Imperatorum ponere consultum mihi visum, ad servandum Chronologicæ filum; non nunquam facta Historice Civilis attuli, fini meo congrua, qualia sunt tragicæ Persecutorum mortes. Sicut facta inutilia rescindenda sunt, ita econtra utilia cum omnibus circumstantiis diligenter

diligenter sunt referenda. Nec minimam vero circumstantiam ex meo addere ausus sum, quamvis fuisset valde verosimilis; Poetarum est ista licentia, at historici laboris fundamentum est, exacta veritas. Historicum omnes circumstantias ex primævis Auctoribus diligentissime oportet colligere, ut facta magni momenti graphice possit depingere, eaque clarissime Lectorum oculis objicere; non enim delectant solum tales picturæ, sed & maxime utilitatis sunt, quia fortius legentis mentem rapiunt, profundius memoriæ imprimuntur, & in hærent diutius. Etiam si compendium Historiæ tantum scriberem, nihilominus facta principaliora modo prædicto describerem, quod ut commodius fieri posset, minus utilia prætermitterem; ex hujus regulæ neglectu fieri credidero, tot dari Historicos, qui sua ariditate Lectoribus tædium pariunt.

§. XI.

Hunc defectum quidam suppleri putant stili elegantia, adjectis sententiis, &

b 5

inge-

ingeniosis reflexionibus; talibus capiuntur Lectores rudes, qui admirantur, & laudant Historiam, quam totam sine tædio perlegere non valent, & cujus facta non retinent. Lectori prudenti nec epithetis, nec magnis phrasibus, nec ingenii, vel sententiarum lusu, nec iis omnibus, quæ non nisi a Scribente proveniunt, satisfacit; facta solida requirit, de quibus suum ferat iudicium. Prudens Scriptor non nesciet, fore, ut multi librum suum legant, qui meliore, quam ipse, pollent iudicio; ne igitur illos præveniat, nec proprias reflexiones faciendi voluptate privet; si materiam legenti præbuerit, satisfecit muneri suo. Cæterum si Historicus libere de Personis, & actionibus iudicet, adjunctis Epithetis laudet, vel vituperet, affectum privatum prodit, partibus favet, & suspectus fit. Optimum erit, & consultissimum, si in simplici narratione sistat, ab initio usque ad finem facta exponat sine ambagibus, sine quæsitis transitionibus, sine reflexionibus. Lectoris mens rerum narratione, ac si eas oculis cerneret, ita occupetur, ut

neque

neque de stilo Scribentis, neque de libro, quem manibus gestat, neque de ipso Auctore cogitare vacet. Ita Homerus scripsit, ita, ut exemplum dignius afferam, scripsere Moyses, Samuel, & cæteri Sacri Historici; Quisquis Sacrarum Scripturarum præstantiam percipere capax est, intelliget, Sacros Scriptores in narranda Historia ad summum perfectionis apicem pertigisse, tum prudentia in iis, quæ referrent, eligendis, tum in Sermonis vigore, tum Dictionis claritate, & Stili simplicitate, quæ omnium gentium fidem sibi conciliarunt.

§. XII.

Si reflexiones ommittendæ sunt, multo magis Dissertationes criticæ, & discussiones. Postquam ædificium perfectum est, tabulata, machinæ, fornicum fulcra tolluntur; quamvis enim hæc omnia media initio ad ædificandum fuerint necessaria, nec sine magna industria, & impendiis parari potuerint, tamen operi consummato forent impedimento, & dedecori; ita etiam
Histori-

Historicus summa cura facta examinet, & eligat, quæ suam Historiam ingrediantur, nihil inconsiderate vel inserat, vel rejiciat; cur vero unum assumat, & alterum relinquat, rationem reddere publico non debet frequentibus digressionibus, Lectori non nisi facta quærenti, molestis; præsertim si post examen facta vel falsa, vel inutilia esse deprehenderit, criticæ usum non ulterius progredi debere existimo, quam ut talia silentio prætereantur; quid enim, meo quidem judicio, legenti magis molestum accidere possit, quam longa Dissertatione fatigari, qua perlecta, discat nihil? Quamvis autem verum sit, alios Scriptores fuisse allucinatos, hujus tamen erroris notitiam Historiæ partem utilem esse non reputo, Rei summæ, & factis insisto, quæ credenda sint, vel neganda. Ergo Historicus totum laborem in se solum suscipiat, ut Lectorem modo facili, & grato facta utilia doceat; non diffiteor, si quis Auditor huic methodo inhæreat, maximam ejus laboris partem in occulto mansuram, at parum ipsius intererit; si prudens sit,

multo

multo minus si Christianus, & ab illo solo, qui in secreto videt, operis sui mercedem exspectet.

§. XIII.

*In factorum examine duo extrema vitanda sunt, hinc nimice credulitatis, inde Criticæ. At nimice credulitatis principium non est sola hominum simplicitas; sunt enim, qui, secundum hujus mundi prudentiam sapientes, nocua calliditate omnia credunt; populum vel non capacem, vel indignum existimant, qui agnoscat veritatem, eumque in omnibus illis opinionibus, quas nomine Religionis accepit, relinquere, necessarium putant, timentes, ne ea, quæ solida sunt, concutiantur, dum rescinduntur frivola; Revera autem tales superbi Politici maxima ignorantia laborant; cum Religionis substantiam nesciant, & ignoti nulla sit cupido; ad eam addiscendam serio animum nunquam advertunt; tota credendi ratio apud tales in his duobus vertitur, quod hæc præjudicia a primis unguiculis imbiberint, iisque Bonum
eorum*

eorum temporale sit annexum; solida credendi Evangelio argumenta nunquam examinarunt, nullo, quam sublimis sit Christiana morum Doctrina, quam dulcis Bonorum æternorum spes, experimento didicerunt; hinc est, quod Religionis studium horreant, & fugiant lucem antiquitatis, quam sibi adversam sciunt; semper Christianos ita vixisse, sicut ipsi hodie vivunt, suavissime sibi persuadent, quia ad veterum exempla mores suos convertere nolunt; quasi vero aliquando falli prodesse possit, aut veritas nimia investigandi sedulitate mutari. Deo Optimo Maximo Laudes sint, & gratiæ; quod Religio Christiana tot, tantisque tentata fuerit, & probata, ut ei nihil nisi latere, & nesciri timendum sit.

§. XIV.

Ad aliud nimis credulorum genus pertinent Christiani, sinceri quidem, sed debiles, & anxii, qui etiam Religionis umbram venerantur, timentes, ne nimis pauca credant; quibusdam iudicii vis deest,
alii

alii sponte oculos claudunt, nec judicandi facultate, quæ ipsis data est, uti audent, atque pii Christiani esse, putant, quæcunque Auctores Catholici scripserunt, aut rudis populus pro certis habet credere. Ego vero veram pietatem in eo consistere existimo, ut Christianus veritatem, & Religionis puritatem amet, ante omnia autem præcepta moralia in S. Scriptura tradita observet. Legimus S. Paulum ^{1. Tim.} sæpius Titum, & Timotheum monere, ^{3.4.C.4.7.} ut fabulas devitent, eundemque Apo- ^{2. Tim.} ^{4. 4.} stolum prædicare, multos novissimis tempo- ^{Tit. I. 14.} ribus aures a veritate averfuros, ad fa- ^{2. Pet. I.} ^{16.} bulas autem convertendos. Legimus æque a S. Petro rejici doctas fabulas, ac a S. Paulo Traditiones aniles; & merito credendum, S. Petrum, sicut fabulas Judæorum rejicit, ita etiam fabulas Christianorum fuisse damnaturum, si jam tunc exstitissent. Verum quid ad hæc timidi, & creduli Christiani? An sine scrupulo tantam auctoritatem respuent? An dicent, nunquam inter Christianos fuisse fabulas? Hoc dicendo toti antiquitati con-
tradi-

tradicerent; & vel sola legenda aurea Jacobi de Voragine ad eos convincendos abunde sufficerent. Donatio Constantini Romæ pro fabula habetur. Fabula Johanne Papissæ, olim a Catholicis credita, hodie a Protestantibus negatur, & refutatur. Baronius, absque dubio bonus Catholicus, multa scripta apocrypha, & fabulas a Metaphraste, & pluribus aliis allatas rejecit.

§. XV.

Ergo Critica est necessaria. Salva Traditionibus debita reverentia, an fide dignæ sint, examinari potest, imo debet, ne propter fabularum admixtionem veræ Traditiones vilescant. Possumus, & debemus inquirere, an miracula certissimis argumentis sint probata, ne contra Deum falsum testimonium dicamus, dum ipsi miracula, quæ non patravit, attribuimus; facta particularia Religioni nec officiant, nec prosunt; quamvis S. Jacobus nunquam venisset in Hispaniam, & S. Magdalena in Provinciam, etsi Historiam S. Geor-

S. Georgii, & S. Margaritæ ignoremus, an ideo minus Evangelio sua constat veritas? An ideo minor est obligatio credendi S. Trinitatem, & incarnationem? vel tollendi super humeros nostros crucem nostram, nosmetipsos abnegandi, omnemque spem nostram in cælo collocandi? Traditiones universaliter receptas, ad dogmata fidei, Sacramentorum administrationem, & pietatis opera spectantes, non satis possumus venerari, earum etiam pleræque in scriptis primorum Sæculorum leguntur; attamen hæc veneratio ad omnia facta extendi non debet, quæ aliquorum ignorantia, vel aliorum malitia, qui populorum credulitati illuserunt, a septem vel octo Sæculis narrari cœperunt, quæ falsa sunt serius, aut citius manifestantur, & manifestata ansam præbent omnia in dubium revocandi, ipsamque veritatem optime stabilitam oppugnandi. Hic est prætextus omnium speciosissimus, sub quo Protestantes Ecclesiam Catholicam calumniantur. Iphis persuadentibus fides facta est integris populis, nos Catholicos

*Æsum Christum nostra memoria del-
viffe, ut ejus loco adoremus Sanctos;
Religionem Catholicorum in nullo alio
consistere, quam cæremoniis externis, cul-
tu imaginum, peregrinationibus Religio-
nis causa susceptis, & confraternitati-
bus; nos denique Sacras Scripturas sup-
pressiffe, & pro eis legenda fabulosa sub-
stituisse.*

§. XVI.

*His præjudiciis imbuti heterodoxi in
alterum nimicæ Criticæ extremum delapsi
sunt, ita ut nihil penitus certi, sed omnia
esse dubia voluerint; sed & non nullos
Catholicorum malefana ambitio, qua cæ-
teris doctiores, & sagaciores haberi cu-
piebant, in idem extremum pertraxit.
Sunt, qui nullum miraculum, nullam re-
velationem credere audent, ne simplicium
numero accenseantur; si quorundam sua-
sionibus obsequi libuisset, multa ex hac
Historia fuissent expuncta; at summo
ingenio viri, illisque, qui fortis ingenii
laudem omnia negando affectant, multo
superio-*

*superiores, meliora suggererunt; hi enim
perpendere me jubebant, omnem tolli Re-
ligionem, si factorum supernaturalium
subtrahatur fundamentum; totum orbem,
Idololatriæ tenebris immersum, prodigiis
magis, quam ratiocinando, & disputan-
do fuisse conversum. Boni ergo Chri-
stiani est miraculorum existentiam sine re-
pugnantia credere; quæstio tantum de
facti particularis probationibus moveri
debet. Quæ prodigia in Sacra Scriptu-
ra referuntur, Auctoritatis omni exce-
ptione majoris sunt; quæ autem a viris
gravitate conspicuis referuntur, pro refe-
rentis auctoritate probabilitatis gradus
admittunt. S. Ireneo fides debetur, as-
serenti, suo tempore gratias curationum,
aliaque miracula, & Prophetiæ donum
in Ecclesia Catholica fuisse frequentia.
S. Cypriano fides debetur, revelationes
sibi, vel aliis hominibus suo ævo factas
enarranti. Etiam illas, quas Hermas in
suo Pastoris libro recitat, ad minimum
usque apicem credo; credo revelationes
S. Perpetuæ, quarum acta a Tertullia-*

no, & S. Augustino citantur; alias pro mensura auctoritatis, qua Scriptores pollebant, credo; nec unquam Protestantibus concedam, auctoritatem scribentium vel eorum pietate, vel professione Monastica minui; certum est econtra, a vera pietate jactantiam, & pravos affectus abesse, nempe omnis mendacii originem, & fontes.

§. XVII.

Alio modo in Critica excedunt, qui nimium conjecturis tribuunt; Erasmus temere quaedam S. Augustini scripta rejecit, quia in iis stili diversitatem sibi deprehendere videbatur. Alii vocabula correxerunt, quæ non intelligebant, aut facta negarunt ab aliquo Auctore scripta, quia cum illis, quæ alii Auctores æqualis, vel minoris auctoritatis referebant, combinare non poterant, vel quia cum illa Chronologia, in qua ipsi fallebantur, propter suam imperitiam non valebant conciliare. Omnia sciendi, vel divinandi insatiabilis cupido quorundam animos incessit;

cessit; quisque, ut Criticis se antiquioribus sapientior videretur, ex receptis Historiis aliquod factum expunxit, vel magni Nominis Auctoribus aliquem librum surripuit. Ego fastidiosa hac Crisi contempta, nec novis, & singularibus conjecturis plus justo fidens, quæ plurimis, optimisque rerum aestimatoribus probata inveni, amplexus sum; in hac sententia obfirmato animo, pro veris scripsi, quæ mihi satis probata visa sunt, eaque simpliciter narravi; de rebus illis, quas dubias esse judicavi, dixi, ita a quibusdam referri, quando res dubias nihilominus referri dignas credidi, sæpissime autem tales silentio pressi; aptissima, ut opinor, arma sunt, quibus errores innoxios oppugnes, si dissimulaveris; (*) nollem ego unquam ex Cathedra perorans, vel scribens,

(*) Pater Honoratus putat in dicto opere, si quis piam Traditionem falsam existimet, oportere, ut eam palam impugnet. Hic, pace ipsius, iudicium Fleurii præplacet; cum enim Fleurius loquatur de erroribus innoxiiis, si quis publice impugnet, semper majus erit periculum scandalii, quam spes utilitatis.

bens, facta, quæ consentanea veritati non sunt, in medium afferre, quamvis pro veris a populo habeantur; sed nec ea sine necessitate publice impugnare consultum duco. Credat aliquis firmissime S. Jacobum in Hispania prædicasse, aut S. Martialem inter septuaginta duos Discipulos numeratum, num ideo salute periclitabitur? at qui directe in certis locis, coram certis Personis tales opiniones impugnet, scandalum poneret, audientium animos exacerbaret, & non leviter proximi charitatem læderet; Has igitur opiniones præstat tolerare, & in Scriptis, vel Sermonibus publicis suppressere; satis erit, easdem in privatis colloquiis, ubi auditorem argumentorum nostrorum patientem, & capere valentem sors obtulerit, oppugnare. Ædificare magis, quam destruere studeamus; omnem Doctrinam Historicam, & moralem summa cura investigemus, solidis argumentis stabiliamus, prædicemus super tecta, & videbimus, errores propria infirmitate dissipari, qui hosti aperto, & vim inferenti diutius resistissent.

S. XVIII.

§. XVIII.

Nemo itaque miretur, quare in primo Sæculo tam pauca de S. Virgine, & Apostolis memoraverim; omnia scripsi, quæ certa esse inveni, & minimas etiam particulas de Traditionibus S. Clementis Alexandrini, atque aliis illi tempori proximis Auctõribus collegi; () plura ve-*

C 4

ro,

(*) *Hic interrogat P. Honoratus: Nunquid nihil aliud præter ista de Beatissima Virgine hac rati, & constantis deprehendit Abbas noster? Anne Evangelistæ facti hujus narratores multa alia de eadem non sunt persecuti? Ad hanc interrogationem jam ante responderat Fleurius, se nihil rati, & constantis testimonio Scriptorum primorum Sæculorum invenisse. Patris Honorati fuisset indicare, quænam illa sint rata, & constantia, a Fleurio omissa? Non erat ejus propositi, quæ Evangelistæ scripserunt, repetere, cum Historiæ suæ initium post Domini Nostri Ascensionem faciat; at! otium fuit Fleurio, fabulas de Apollonio inserere; potuit utique; sed, quæ Philostratus de Apollonio scripsit, retulit Fleurius non tanquam certa, & constantia, verum ut ea credat, cui credere libuisset. At iterum: Sæpius suffecit Fleurio testimonium Auctõris, post aliquot Sæcula scribentis. Nempe, ut supra dictum, non semper*
suas

ro, quæ Metaphrastes, Nicephorus, alii-
que moderni referunt, credat, cuicumque
eorum auctoritas ad credendum sufficit,
mihi certe tanti esse non videbantur, ut
ea relationibus jungerem, quas ex Actis,
& Epistolis Apostolorum desumpsi. Fa-
cto Historico non ideo major certitudo
accedit, vel illud magis verosimile fit, quod
in libris plurimorum Auctorum recentio-
rum, quorum alter alterius relata descri-
psit, inveniatur; quamquam omnes Do-
ctores, qui hodie luce fruuntur, in hanc
sententiam conspirarent, Sanctam Virgi-
nem septuaginta quinque annis vixisse,
non ideo tamen hæc opinio magis vera,
vel probabilis evaderet, quia in antiquitate
non fundatur, & veritas facti ratiocinan-
do non invenitur. Interim, cum homi-

nes

suas ipse regulas Fleurius ad amissim secutus
est, & parum auxilii Patri Honorato est in
hoc argumento, ex quo nescias, an sequatur,
Fleurio in sua Historia Ecclesiastica multa fa-
cta fuisse ponenda, vel ommittenda? Denique
ut Historiarum Scriptor aliquid tanquam cer-
tum inserat, sæpe non unico, sed pluribus mo-
veri debet argumentis.

nes certitudinem ament, quod Scriptor primus divinando, & dubitando protulit, dicens: Forte ita res contigit, vel, magis pium est hoc credere, quam alterum, secundus dixit, esse verosimile, tertius rem ut certam pronuntiavit, priorum duorum testimonium adducens; subsecuta est credentium turba; quicumque deinde in rei veritatem profundius perspicere, & in fontes inquirere vult, novator audit, & temeritatis incusatur. Eadem est causa, quod paucissima de primis Pontificibus retulerim, & Acta tot Martyrum, fama notissimorum, quorum legenda habentur, omiserim; vera pietas veritatis amans est, & iis contenta, quæ nobis revelare Deo placuit. Nihilominus multis multa nimis Acta Martyrum, & nimis prolixè narraſſe videbor, cum tamen non omnia inferuerim, quæ a R. P. Dom Theodorico Ruinartio Benedictino sub nomine: Acta Martyrum sincera, & selecta, habemus, sed aliqua, ubi nihil singulare occurrebat, omiserim. Hæ sunt Regulæ, quas hanc scribens Historiam

in materia, & factorum delectu secutus sum.

§. XIX.

Quod ad modum scribendi spectat, duas vias video ab Auctoribus tritas, prima integri contextus Scriptorum primævorum exscribuntur, ita ut Historicus tantum interloquatur, ut priora sequentibus connectat; altera via sola substantia excerpitur, cæterum ipsa Historia stilo æquali, & continuo componitur; primam viam tenuerunt Centuriatores, & Baronius; eandem Hermantius in vitis suis magis secutus fuisse quam alteram, dici potest; videtur esse magis secura, & solida, idem enim prope fit, quod in processu Judiciali, producuntur scripta, de quibus Lector per seipsum iudicet; at qui hac methodo utitur, longus esse cogitur, & frequenter eadem repetere, cum enim sæpe idem factum a diversis Auctoribus cum diversis circumstantiis narretur, omnia exscribere oportet, ut Lector plene instruat; præterea dum in-

tegras

tegras periodos transcribit, omnia stili vitia, quibus Antiqui laborant, quasi adoptat, nempe obscuritatem, prolixitatem, Phrases, & verba superflua, quibus fatigatur Lectoris patientia, omnium autem maxime multiplici dictionis varietate; partes operis etiam ex arte scripti a corpore suo separatæ displicent, nec omnia quæ Historice scribendæ serviunt, ipsius Historice partes constituere debent, illa enim ex omni Scripturarum genere extrahuntur, puta Discursibus, Panegyricis, Epistolis; quod S. Gregorius Nazianzenus facundissime in oratione funebri S. Basilii dixit, frigidum fit, & tædiosum in medio Historice relatam, in qua non ars Rhetoricæ, sed gesta quæeruntur; in Panegyricis autem facta perstringuntur potius quam enarrantur, & semper ornata, & figuris involvuntur, ut sine gravi studio vix erui possint. Ita Lectores Baronii, dum modo facili, & sibi commode de Historice Ecclesiasticæ rebus instrui cupiunt, ad studium, & laborem non exiguum damnantur, cum Baronius Historice Eccle-

Ecclesiasticæ scribendæ partes, & materiam magna solertia conquiſiſſe, & præparaffe melius dicatur, quam ipſam Hiftoriam ſcripſiſſe. Si quis vero exiſtimet, hac methodo Lectõribus liberam relinqui iudicandi facultatem, fallitur; ſemper enim factõrum ſcribendorum, aut textuum extrahendorum electio in poteſtate Hiftorici eſt, qui ſæpe facta præiudiciis ſuis contraria ſilet, aut Textus, & Verba aliorum Reflexionibus, & Diſſertationibus ſuis, quæ in hac methodo ſunt neceſſariæ, in alium ſenſum trahit, vel ſaltem illorum vim diminuit; nam dum multas aliorum periodos refert, neceſſe eſt loca obſcura explicare, contradictiones tollere, diverſa conciliare, ex quibus omnibus ingens librorum moles coacervatur; quod equidem majus malum eſt, quam multi cogitent, quia huic difficultati Hiftoriæ, rerumque Eccleſiaſticarum ignorantia originem debet; date enim ex millibus unum, cui ad tanta volumina evolvenda nec facultas deſit, nec voluntas.

§. XX.

Altera methodus est, si scribatur stilo æquali, & non verba antiquorum referantur, sed sensus; hanc tenuere Godavius, Maimburgus, & Historicorum tam antiquorum, quam modernorum plerique; estque haud dubie Lectoribus magis grata, sed non magis veritatis secunda; si scribens sit excellenti ingenio, & imaginatione fœcunda, vix se intra angustos veritatis limites continebit, ne aliquid, forte reflexiones, quæ ipsi videbuntur iudicio plene, concinnas sententias, descriptiones, vel saltem epitheta de suo addat. Inter utramque methodum mediam me ingredi viam putavi, si in scribendo æquali stilo uterer, qui esset narratio continua, servatis tamen, quantum fieri potest, antiquorum verbis, fideliter ex Græco, aut Latino in nostram linguam translatis; nihilominus superflua rescindi, & necessaria, ad quædam loca obscura illustranda, addi posse, salva veritate, credidi. Citationes in margine posui, ut eruditi fidem
meam

meam periclitari possint, omnesque, qui huic labori pares sunt, hortor, ut fontes inspiciant, meaque verba cum illis conferant. (*) Propriis Auctorum verbis major vis inest, cumque nihil humani a me alienum putem, in verborum selectu, vel interpretatione sæpius falli potui. Sed, prout dixi, illis imprimis scribo, quibus antiquos Auctores pervolvere non licet, siue id ipsis contingat ex librorum defectu, aut Græci, Latine Sermonis ignorantia, vel temporis penuria. Quæ Gallicas translationes legere, varios Scriptores conferre, & conciliare non permittit.

§. XXI.

In huiusmodi Lectorum gratiam quibusdam ad formandos mores extractis narrationem interpolavi; gratum me illis facturum credidi, quibus rerum Ecclesiastica-

(*) His Fleurii verbis, quibus nihil sincerius, illius Scriptoris Belgæ accusatio refellitur, qui libellum edidit, eique titulum imposuit: *Mala fides Fleurii in interpretatione SS. Patrum.*

fiasticarum lectio non est familiaris, si in uno libro legenda conferrem, quæ aliter nunquam legissent, & quæ tamen scire, eorum non nihil interest, si Religionem tanti, quantum oportet, æstimant. In his extractis multa legent facta ad mores, cæremonias, & traditiones antiquas spectantia, quæ sciri digna sunt, & aliter in lucem proferri vix poterant; qualia illa sunt, quæ ex Apologiis S. Iustini, & Tertulliani, aliisque huius operibus excerpti; in his textibus demonstrandæ veritati Catholicæ adversus ultimorum Sæculorum hæreticos arma aptissima, & fortissima invenient. Tandem per ea, quæ ex Patribus transtuli, sciri poterit, quales, quantique viri fuerunt, quibus Deus stabilendæ, defendendæque Religioni uti voluerit, nemo enim ex aliquo alio magis, quam ex iis, quæ fecit, & docuit, cognosci debet. Plura, & longiora in primis Sæculis extraxi, quia ea omnia, quæ in his Sæculis gesta, vel dicta sunt, majori auctoritate pollent, & sequentium omnium sunt fundamentum. Ferreæ frontis sit, oportet,

oportet, qui se Christianum dicat, & constanti eorum, qui Apostolorum Discipuli fuere, traditioni resistat. Cæterum qui primi omnium in Ecclesia scripsere, tam pauci sunt, & pleraque eorum opera tam parum nota, ut propter ipsam raritatem inter pretiosa a multis æstimari possint; nam cui, si eruditissimos excipias, Epistola S. Clementis Papæ, vel liber Pastoris notus est? Verumtamen quæ ex his duobus, & S. Clemente Alexandrino sumpsit ad formandam solidæ pietatis, & Christianæ perfectionis Ideam vel sola sufficiunt, iisdemque invictè probatur, summum Doctrinæ Christianæ, & sanctum circa mores rigorem, non inventum esse Monachorum, aut recentissimorum temporum figmentum. (*)

Hoc

(*) Clementis Alexandrini Nomen, quem Fleurius Sanctum appellat, non nulli in Martyrologium Romanum novissimæ Editionis anni 1749. a SSmo D. N. Papa Benedicto XIV. castigatæ, inseri exoptabant; id vero obtinere non potuerunt, & cur factum non sit, SSmus Pater in litteris Apostolicis ad Joannem V. Portugalliæ Regem rationem reddere dignatus est.

Hoc solum in transferendis in meam Historiam aliorum Scriptorum effatis incommodum accidit; nempe operis huius molem augent, quod tamen, ut magis prodessem, breve esse exoptaveram.

§. XXII.

Verum fidei formulas, & Conciliorum Canones inter talia extracta, quæ pro arbitrio Historici poni possunt, vel omnitti, non reputo; hæc enim monumenta partibus Historiæ necessariis accenseo, nam fidei professio scripta Religionis, & Ecclesiæ Doctrinam, Canones autem Disciplinam optime edocent; horum, ut ego quidem arbitror, in Historia Ecclesiastica tanta ratio habenda est, quanta in Historia profana pactorum publicorum, pacis initæ inter Principes, fœderum, Legum, constitutionum Politicarum habetur, quorum omnium saltem summarium referendum. Scio quidem ejusmodi acta apud plurimos non esse accepta, sed nec fabulas scribo, nec poema, & Lectores graves, attentosque desidero. Acta Martyrum re-

Hist. Eccles. Tom. I.

d

ferri

ferri necessarium mihi visum, ut nobilissima Religionis nostræ monumenta indelebili modo memoria imprimerentur; Et quidem retuli in sua primæva simplicitate, quia pleraque instrumenta authentica sunt, quæstiones, Et responsiones a Notariis conscriptæ, quæ in Judicio plenam facerent probationem. Cum hæc non sine voluptate legerim, ea etiam illis omnibus futura gratissima non dubito, qui rebus veris, naturali simplicitate narratis, delectantur, nec aliam lectionem Christianorum pietati firmandæ aptiorem novi; hinc est, quod profectum, ex hac lectione nasciturum, stili æqualitati, Et elegantiae prætulerim. Post Martyrum certamina, Et Triumphos nihil in Ecclesia speciosius vel majus spectaculis Monachorum; ideo satis ampla narratione primorum, Et clarissimorum Anchoretarum vitas descripsi, Et diutius exponendis eorum virtutibus, quam miraculis immoratus sum; quamvis illorum vitæ sint satis notæ, Et omnium manibus terantur, tamen si silentio præteriissem, aliquam me partem hujus Historiæ principalem omisisse

omifisse credidiffem, quæ non minus mores
Christianorum, quam Doctrinam, & Di-
fciplinam complectitur; accedit, quod bo-
ni mores aliorum exemplis longe melius,
quam generalibus præceptis difcantur;
nunquam aptius aut clarius mihi hominem
depinxeris antea ignotum, quam fi ejus
diéta, factaque narraveris. Cæterum ne-
mo nova tantum, & quæ alibi nusquam
legerit, in hoc libro lecturum fe fperet.

§. XXIII.

Exordium narrationis a J Efu Chri-
fti Nativitate nolui ducere; fatis Chri-
ftianis cognita eft illa Hiftoria, nec ullibi
melius quam lectiõne continua Evangelio-
rum eam doceri poffumus; fi quis credat,
fe Chrifti Hiftoriam melius, quam ibi fa-
ctum, concinnare poffe, imperitus eft rei
arbiter; ultra id autem, quod in Sacris
Scripturis continetur, de Chrifto Domino
nihil, aut ferme nihil fcimus. Non ita
fe res habet circa Hiftoriam Apoftolorum,
nam præter Acta, multa quoque magni
momenti facta in S. Pauli Epiftolis, a-
d 2. liis que

liisque ejusdem ævi Scriptoribus, ut sunt Josephus, & Philo, reperiuntur. Ante omnes alios magni pretii est Josephi Historia, vel ex eo, quod, cum esset Judæus, magna industria Jerosolymæ excidium litteris consignaverit, & ignarus, quid ageret, de Jesu Christi vaticiniis adimpletis testis irrefragabilis extiterit.

§. XXIV.

Ordinem temporum observavi quidem, at non anxie. Non cuilibet licet annales scribere; id quidem Tacitus potuit, quia scripsit facta sibi cum omnibus circumstantiis nota; sed & omnium gestorum, utpote recentium, diem noverat. Annales ergo illarum tantum rerum scribi possunt, quæ nostro ævo acciderunt; ita quidem hodie aliquis Historiam Ecclesiasticam ex tempore Concilii Tridentini, vel etiam Constantiensis scripturus, posset eam in Annales disponere; at, si quis antiquissimorum temporum facta, de quorum die vel anno vix conjicere liceat, aliquorum autem certum tempus penitus ignoret, in
Anna-

Annales redigere velit, is post immensum suum laborem ipse sæpissime fallitur, & alios fallit; ita in Annalibus Baronii, summæ industriæ, & vastissimæ eruditionis viri, non modici Chronologiæ errores inventi sunt, & inter alios R. P. Pagius corrigendis quatuor primorum Sæculorum mendis nuper amplum volumen edidit. Neque tamen Baronius tanta diligentia gesta singula ad certos annos reducere potuit, multa, arrepta occasione, inter gesta alterius anni recensuit, nulla assignata die, quia id facere erat impossibile; idipsum evenit, quando recessum SS. Basilii, & Gregorii Nazianzeni ponit anno trecentesimo sexagesimo tertio post obitum Juliani Apostatæ, quem eodem jure quinque, vel sex annis citius potuisset interserere. Interim Lector certitudinis amans huic auctoritati acquiescit, & absque reflexione quodlibet factum illo anno, qui in capite pagine notatur, contigisse credit. Atqui neque facta illa, de quibus annus, diesque, quo contigerunt, scitur, secundum exactum temporis ordinem

ponere semper consultum est; nam si sæpissime interrumpatur; valde arida erit narratio, & in particulas minutissimas dissecta, fietque, ut facta non coherentia sine delectatione legantur, & brevi rursus memoria excidant; sæpe necesse erit subito ex Oriente in Occidentem, Roma Antiochiam commigrare, jam inceptum in Italia Concilium abrumpere, & ad aliud converti in Africa celebrandum; jam una linea erit interserenda ad notandam Pontificis, vel Imperatoris mortem; & hæc omnia vel sine nexu erunt ponenda, vel transitionibus, longe quæsitis, assuenda, præstat aliquot annos anticipare, vel ad jam præteritos retrocedere, ut factum notabile a principio ad finem narrando deducatur. Optima narrandi methodus est illa, qua res ordine naturæ maxime conformi proponuntur; sic narrata facile capiuntur, & retinentur. Confusioni autem ponendo annum, mensem, vel diem præcavetur.

§. XXV.

Bona fides exigit, ut dies, annusue solummodo tunc ponantur, quando de iis Historico constat; nemo autem Historico onus intolerabile imponat, ut totam vitam suam Chronologicae studio impendat. Modernorum eruditorum aemulatione factum, ut hodie in Chronologia ea scientia, & certitudo requiratur, cui comparandae Noemi vita, ultra nongentos annos extensa, non sufficiat. Opus esset, summa cura ad calculos vocare omnes Eclipses, quarum notitiam habemus, eisque debitum locum in periodo Juliana assignare; oporteret omnium nationum Epochas scire, & annorum, mensiumque diversitatem, qua a nobis differunt, eosque cum nostris conferre; necesse esset omnium antiquorum marmorum, & nummorum inscriptiones examinare; fastos Consulares corrigere, omnes signatos dies, quos in Historicis invenimus, inter se conferre, & ad particularia descendendo etiam Chronica, singulosque titulos inspicere. Jam vero, amabo!

quando inquirendi erit finis? Quis me post hæc omnia, nullum irrepfisse errorem, securum præstabit? Potest denique tam operosa inquisitio probari in factis, quorum tempus accurate scire multum interest; sæpissime autem labor iste omni caret utilitate. Quanta litigia de sensu unius inscriptionis in lapide, vel in nummo? Quem si fuerimus affecuti, nihilo erimus doctiores. Quanto molimine inquiritur in ætatem alicujus Imperatoris, & diem suæ mortis certissimam, aut in alia hujusmodi? Quibus tandem exploratis aliud concluditur nihil, nisi quod Baronius, & Scaliger in hoc puncto fuerint allucinati.

1. Tim. An non hoc est, quod dicit S. Apostolus
6. 14. Paulus, prurire in quæstiones, quæ cœmulationes, & rixas pariunt, præterea autem nihil prosunt? facta facilius memoria retinentur, quam factorum tempus; sæpe de nobismet ipsis meminimus hoc nos fecisse, vel dixisse, in tali loco cum tali persona, hæc anni tempestate, ipsius tamen anni, vel diei non recordamur. Historicorum plurimi, imprimis Sacri hanc methodum

thodum tenuere, annosque, & dies non nisi exigente necessitate apposuere, sicut dies certos Prophetiarum. Multum interest propter Traditionem, ut successionem continuam Paparum, aliorumque Episcoporum, qui in Sedibus Apostolicis successerunt, sciamus, atqui hanc Scriptores antiqui fideliter nobis consignarunt; at cujuslibet Pontificis annos in primis duobus Sæculis determinare, est impossibile, & si etiam possemus, modica tamen exinde resultaret utilitas, cum de illorum Pontificum gestis ferme nihil constet.

§. XXVI.

Ex his rationibus intricatis Chronologicæ quæstionibus involvi nolui, ut plus temporis ipsis factis examinandis, & evidenter probandis suppeteret. Labore eorum, qui me præcesserunt, usus sum, non tamen quasi cæcus eos secutus; Datum apposui, ubi solide probatum videbatur, omisi, quando apparebat esse dubium, facta autem tunc interposui, quando ea contigisse maxime erat verosimile, errores meos,

quamprimum agnoverim, semper corrigere paratus. Easdem regulas in Geographicis tenui, illis, qui singulariter huic studio se dederunt, credidi. In nominandis Provinciis diversorum temporum rationem habui; in primis Sæculis occurrent vocabula Germania, Gallia, Magna Britannia, Lusitania; nam anacronismi argui posse putavi, si Franciam, vel Angliam appellassem Regiones, quo Franci, vel Angli necdum pervenissent. Majus negotium fecere Nomina propria, quæ nobis non sunt familiaria; satius esse duxi, si relinquerem integra, sicut Græce, vel Latine pronuntiantur, quam si nimium immutarem, vel difficilioris pronuntiationis redderem. Nomina Dignitatis, functionis, aut certarum rerum, quæ mores tangunt, sæpe, sicut in lingua sua originali sunt, protuli, & circumlocutione explicare malui, quam ea vocabulis similia significantibus reddere, & nostros mores nimis sapientibus; itaque aliquot cohortium Ducem non eo, quo apud nos vocari solet nomine, sed Tribunum dico, eosque, qui reos vincire solent, lictores.

res. *Diversum Personarum statum non nominibus nostris indico, verum equestres, cives, mancipia voco; denique etiam in verbis, quantum linguae nostrae genius patiebatur, forte ideo a nonnullis temeritatis incusandus, antiquarum gentium indolem retuli.*

§. XXVII.

Ut uno verbo complectar omnia, major mihi cura rerum, quas scriberem, quam dictionis fuit, speroque Lectorem, aequi amantem, eadem mente, qua hanc Historiam scripsi, accepturum, nihil in ea, quam quae Religionis sunt, desideraturum, & minus in ipso proximum reprehendendi, quam proprii profectus studium fore. Nonnulli mali consulunt, quod Historici non omnia litteris mandaverint, quare, inquirunt, tam pauca de Apostolis habemus, de primis eorum Discipulis, de primis Pontificibus? Quare antiqui Scriptores non magis particulariter nobis Cæremonias, Disciplinam, Ecclesiae Regimen, imo & ipsa Religionis dogmata explicarunt?

Hæc

Hæ fuerunt Centuriatorum querelæ, cæcorum profecto hominum, & non intelligentium, se his querelis Divinæ Providentiæ, & JESU Christo, perpetuam Ecclesiæ suæ assistentiam promittenti, injuriam facere! profunda Reverentiæ Sapientiæ incarnatæ consilia adoremus, nec ultra id, quod nobis concedere placuit, postulemus. Non sine gravissima causa, quamvis nobis incognita, factum, quod JESUS CHRISTUS nihil omnino scripserit, & Apostoli ejus valde pauca. Septem sunt Apostoli, qui scripto nihil reliquerunt, de quibusdam nihil scimus nisi eorum Nomina; quæ autem in Actis de SS. Petro, & Paulo narrantur, sufficiunt, ut paria de cæteris conjicere debeamus; videmus horum amborum rationem prædicandi Evangelium Judæis, & Gentilibus, doctis, & indoctis; docemur eorum miracula, virtutes, & toleratas ærumnas; si etiam S. Bartholomæi, aut S. Thomæ actiones particulatim nobis essent notæ, non ideo majorem utilitatem referremus, nisi quod sciendi curiositati satisfieret;

tisfieret; est vero curiositas illorum affectuum censui annumeranda, quos coercere Evangelium docet. Econtra Apostolorum silentium insignis nostra Doctrina est, etenim quod a propriae laudis, & glorie cupiditate fuerint alienissimi, hoc ipso infallibili argumento evincitur, ipsis nullam penitus curam fuisse, ut facta sua, & prodigia clarissima post se longæva hominum memoria celebrarentur; satis erat pro Dei gloria, & posterorum instructione, si modica factorum eorum pars nota esset; reliquorum oblivio plus Apostolorum famam auget, quam centum Historice, cum nihilominus certum sit, quod populos ad fidem Christi converterint multitudine innumerabiles; tot Ecclesie, quas secundo jam Sæculo extitisse videmus per univèrsam mundum, sine prædicante oriri non potuerant, nec casui adscribendum, quod omnes eandem Doctrinam, & eandem Disciplinam servarent. Architecti sapientiam, & operariorum industriam nihil magis, quam ædificii soliditas, & magnificentia probant.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Apostolorum Discipuli eandem nihil scribendi consuetudinem retinuerunt, quod S. Clemens Alexandrinus eorum temporis proximus his verbis memorabilibus testa-

Ex Script.
elect. n. 27

tur: Antiqui nihil scribebant, ne tempus, quod scribendo consumerent, necessariæ aliorum instructioni subtraherent, & requisitum otium esset illis præparandis, quæ dicturi erant. Forte etiam ideo scribere neglexerunt, quod crederent, raro contingere, ut simul uni in scribendo robur, & vis, & in elocutione facundia a natura concederetur. Verba enim facile fluunt, & animos audientium rapiunt, scripta vero rigido Lectorum examini subjiciuntur. Scriptura quidem ad perpetuitatem Doctrinæ servit, dum ad posteros transmittit antiquorum Traditiones, sicut autem ex multis materiis solum ferrum Magnes attrahit, ita soli litterati, quæ scripta sunt, capere possunt. Hæc S. Clemens. Nullum sane est dubium, magnum antiquarum Scripturarum numerum periisse; præter illa enim,
quorum

quorum Eusebius, & alii mentionem faciunt, magnarum urbium Episcopos, & Pontifices sæpius se consulentibus Epistolas rescripsisse dubitari non potest; quod factum fuisse ex Epistolis S. Cornelii Papæ, quas S. Cypriani, & Eusebii diligentia debemus, item S. Julii Papæ in causa S. Athanasii conjicitur. Idipsum vero, quod tot pretiosorum Scriptorum jacturam patimur non sine ordinatione illius Providentiæ fit, sine qua nec passer de arbore in terram cadit.

§. XXIX.

Missis igitur inutilibus desideriis, in iis, quæ habemus, profectum nostrum quæramus, & in hujus Historiæ Ecclesiasticæ serie Doctrinam, Disciplinam, & mores consideremus. Non hic afferuntur rationationes ingeniosæ, aut speciosæ Ideæ, sed facta realia, quæ sive credas, sive non credas, sive æstimes, sive negligas, non ideo minus vera erunt. Hic aliqua Ecclesia perspicitur, continua populorum Fidelium, Pastorum, & Ministrorum successione sine interruptione subsistens, ante faci-

ciem

ciem omnium nationum semper visibilis, semper non solum ab Infidelibus nomine Christiano, sed etiam ab omni Secta hæreticorum, & schismaticorum nomine Catholico distincta. Hæc Ecclesia semper professæ est, se nihil docere, nisi quod ab initio accepit, & novam omnem Doctrinam rejicere; si aliquando novas decisiones declaret, & novis nominibus utatur, id non fieri, ut nova dogmata proponat; sed ut ea, quæ semper credidit, clarius explicet, & novis hæreticorum inventis remedia convenientia applicet. Cæterum hæc Ecclesia in virtute promissionis sui Fundatoris se credit infallibilem, nec, quæ semel decidit, a privatis examinari permittit. Regula fidei est Revelatio divina non solum in Scripturis contenta, sed etiam in Traditionibus, per quas ipsa Scriptura dignoscitur.

Si Ecclesiæ Disciplinam consideres, ea tota spiritualis, tota cælestis est; est Regimen supra Charitatis fundamentum innixum, cujus finis unicus est utilitas publica, sine ullo Regentium commodo; Re-
ctores

Etiores cœlitus vocantur, quæ divina vocatio per aliorum Pastorum electionem, & consensum populorum manifestatur; propter sola merita eliguntur, & sæpissime nolentes; sola charitas, & obedientia in causa est, quod suscipiant Ministerium, cujus individui comites sunt pericula, & labores; inter hæc pericula non minimum esse putant vanæ gloriæ, & elationis, qua tentari possunt ob affectum, & venerationem populorum, a quibus Dei ipsius vices gerere creduntur. In reverenti gregis sui amore tota Pastorum auctoritas consistit, nec Dominationem affectant potestatibus Sæculi similem, non adhibita vi obedientiam extorquent, sed vis eorum in forti persuasione posita est, vis inquam eorum est vitæ Sanctitatis, sana Doctrina, & magna charitas, quam omni obsequiorum, & beneficiorum genere gregi suo exhibent; sic omnium cordibus imperant. (*) Auctoritate sua non aliter, quam in bonum ovium suarum utuntur,

(*) Anonymus I. dicit; Hic videri Fleurium nescire velle potestatem Ecclesie coercendi Fideles, & brachium sæculare implorandi. Quo-
Hist. Eccles. Tom. I. modo

tur, videlicet ad convertendos peccatores, reconciliandos inimicos, omnem ætatem, & sexum intra honestatis, & Legum divinarum limites continendum. Sicut corda hominum in potestate habent, ita & eorum bona temporalia, quibus oblatis in levamen pauperum utuntur, ipsi pauperes, & sæpe manibus suis laborantes. Quo majore auctoritate valent, eo minorem sibi ipsis attribuunt, Sacerdotes, & Diaconos fratrum nomine compellant, absque eorum consilio, & populi participatione nihil magni moliantur. Episcopi sæpe conveniunt, ut de rebus majoris momenti simul deliberent, & sæpius per litteras, quæ agantur, sibi communicant; Ita Ecclesia per omnem habitabilem terram diffusa corpus est unicum, cujus membra omnia in fide, & Disciplina sunt perfecte unita.

§. XXX.

Talem vitæ rationem humanis principis non fundari, manifestum est; Episcopi

modo nesciat, quod in sua Historia millies factum narrat? Hic non de jure disputat, sed primorum Sæculorum imaginem repræsentat.

copi nullo medio temporali, nec divitiis, nec auctoritate, nec Principum, & Magistratum favore, nec utilitatis in ipsam Religionem redundantis obtentu servare suam Dignitatem contendunt. Bellorum civilium factionibus in Imperio, ubi Principes eliguntur, valde frequentibus implicari se non patiuntur, Dominum, quem sibi divina Providentia, rerum humanarum vices dirigens, imposuerit, libenter accipiunt; Principibus Ethnicis, & Persecutoribus fideliter obediunt, Principibus Christianis hæresi faventibus, vel Disciplinam turbantibus vigore Sacerdotali resistunt; Eorum autem resistentia ultra non progreditur, quam quod ea, quæ contra Deum petuntur, facere renuant, & priusquam in malum consentiant, ipsam mortem sufferant. Episcoporum agendi ratio est recta, & simplex, constans, & plena vigore sine elatione, prudens sine calliditate, aut simulatione. Cælestis hujus Disciplinæ proprietates est sinceritas, cum enim alio non tendat, quam ad docendam veritatem, & implantandas virtutes, nec fraudibus, nec exter-

ternis auxiliis indiget, sed propria firmitate subsistit, quo altius ad antiquitatis originem redieris, eo clariora nobilis hujus simplicitatis, & candoris exempla inuenies; ita ut dubitare fas non sit, eandem Apostolos fidelissimis suorum Discipulorum instillasse, dum Ecclesiarum Regimen ipsis commiserunt; si quod aliud arcanum habuissent, quod aperirent, certe communicassent, & tanto temporis tractu latere non potuisset. Nemo dicat, hanc simplicitatem in Apostolis, primisque eorum Discipulis ex educatione inculta, & ruditate provenisse, si enim in Scriptis S. Pauli, S. Clementis Papæ, S. Ignatii, S. Polycarpi dotes solummodo scribendi naturales consideraveris, non mediocre ingenium, magnamque eruditionem deprehendes; Sæculis sequentibus in sanctissimis viris summam simplicitatem morum cum summo ingenio, & potentissima dicendi vi conjunctam videbis.

§ XXXI.

Non me latet, non omnium Episcoporum vitam, etiam optimis temporibus, his sanctis

Etis Regulis conformem fuisse, & Doctrinæ quidem Ecclesie, non vero Disciplinæ puritatem immutabilem perdurasse; quidquid in praxi consistit, partim ab hominum voluntate dependet, eorumque pravitate labefactatur. Interim certum est, primis Sæculis Episcoporum plerosque tales, quales exhibui, fuisse, aliosque, qui tales non erant, Ministerio suo indignos fuisse creditos. Certum est, sequentibus Sæculis hanc antiquam Disciplinam semper pro Regula fuisse propositam, eandemque, quantum per locorum, temporumque circumstantias licuit, fuisse conservatam, vel restitutam. Saltem ubique admirationis fuit, & votorum causa; omnes boni, ut hæc revocaretur, a Deo multis precibus postularunt, easque non fuisse irritas, a duobus jam Sæculis experimur. () Hæc sufficiant, ut ad cognoscendam hanc sanctam antiquitatem excitemur, eandemque animis nostris sedulo inculcandam exstimulemur.*

(*) Ex hoc loco satis refutantur Feurii adversarii, qui Disciplinæ hodiernæ contemptorem dicunt.

§. XXXII.

Ultimum est, quod Lectorem meum rogem, & quod maxime omnium utilitatem respicit, ut in hac Historia Doctrinam moralem Christianam attente consideret; dum libros pios sive antiquos, sive recentiores legimus, sive etiam sancta Evangelia, sæpius in mentem venit, & quasi nobiscum ipsis loquimur: Optima profecto hæc sunt vitæ morumque principia, optimæ, & sanctissimæ Regulæ! at vero num etiam possumus eas ad opus deducere? sitne possibile, hominem ad tantæ perfectionis apicem posse pertingere? Huic quæstioni in præsentī Historia respondetur, & argumentis irrefragabilibus probatur Christianæ perfectionis possibilitas; namque, quod fit, vel factum est, id haud dubie fieri potuit, & etiam hodie potest, & possunt Christiani hodie cum Dei gratia eadem operari, quæ tot Sancti, qui æque homines erant, operati sunt; de ipsis autem Sanctorum gestis, quæ refero, nullum dubium superesse potest; omnia facta, quæ in hanc
Historiam

Historiam contuli, ejusmodi sunt, ut cum quolibet alio, cujus opera habemus, Historico de certitudinis palma contendere auserim.

§. XXXIII.

Hic igitur videre erit, excellentissima quæque in genere morum a Philosophis tradita, ab hominibus illiteratis, ab operariis, a simplicibus fæminis in rigore litteræ ad opus, & praxin redacta. Videre erit, Legem Moysis omni humana Philosophia sublimiorem per Jesu Christi Gratiam ad perfectionis fastigium perductam; videre erit Christianos, solide humiles, honorem, & famam pro nihilo habentes, vitam amantes obscuram, & a mundo absconditam; pauperes voluntarios, divitiis legitime possessis renuntiantes, suis se bonis spoliantes, ut egenos ditarent; Hic disci poterit mansuetudo, remissio injuriarum, Dilectio inimicorum; patientissime mortem, & crudelissima tormenta tolerare potius, quam veritatem prodere. Hic docetur in viduitate permanere, Virginitatem, virtutem ad hæc usque tempora ignotam, servare, quam

Personæ utriusque sexus, quandoque etiam post nuptias coluere. Docetur frugalitas, & sobrietas perpetua, multa jejunia, & rigida, vigilæ, cilicia, cuncta corpus castigandi, & in servitutem redigendi remedia. Hæc virtutum exempla repræsentantur, non a paucissimis præcellentis sanctitatis hominibus, sed ab infinita prope Christianorum multitudine data exhibentur Anachoretæ innumeri, qui, omnibus relictis, in deserto vivunt, non cum aliorum onere, sed proximis suis largitione eleemosinæ, & morborum curatione utilissimi; viri pravis suis affectibus domandis unice intenti, &, quantum in hoc mortali corpore licet, Deo uniti.

Nudis autem verbis meis fidem præstari non exigo, legite, & judicate.

